Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-658835-p0001-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-658835-p0002-5

A

23

Pacta dant Leges contractui.

1704, 10

Wincop

Joh. El. Weise

IN ALMA UNIVERSITATE ERFFURTINA
FACULTATIS JURIDICÆ DECANUS
JOANNES MATTHIAS WINCOP
PHIL. & J. U. D., PROF. PUBL. ORDIN. & PRÆFECTURÆ hujatis CONSULENS

LECTORI BENEVOLO SALUTEM!

QVemadmodum Judicis ſeu populo jus dicentis officium latisſimum *L.1.ff.de jurisd.*, ita quoque gravisſimum eſt & varijs tum præ-
ceptis tum ſalutaribus monitis ac regulis in jure noſtro circumfuſum legitur; ſic non ex proprio ſenſu & arbitrio, ſed ſecundum
jura & leges publicas judicare jubetur *Cap. I. X. de conſtit*: junct. *Gloſſ. V. Senſu*, licet quandoque mutatis circumſtantijs epijkia uti
& rigorem, quem verba legis ſecum trahunt, non deviando tamen à Principis mente, declinare, omiſſa etiam à partibus litigan-
tibus ex officio varijs caſibus ſupplere & in medium proferre non prohibeatur, vid. *Ernric. Pirbing. meth. nov. Jur. Can. ad Tit. de
offic. jud. §. 3.* cavebit tamen ne flectatur irâ, odio, timore precibus vel amicitiâ, ſed ut fungatur officio boni & innocentis viri *c.
4. cauſ. 3. q. 7.* unde JCtus Baldus duplicem in eo ſalem, ſcientiæ ſcilicet & conſcientiæ deſiderat eumque ſine illo inſipidum, ſine
hoc vero Diabolicum pronunciat, ſic quoque cavebit, ne contra *c. 12. de R. J. in 6.* perſonarum in judicio habeat acceptionem, quod facere cenſetur, ſiquæ-
dam attingendo, in alterius partis gratiam iniquam ferat ſententiam, ſi cauſam, quæ ex una parte litigantis apparet probabilior & juſtior, ex parte alte-
ra vero minus probabilis, non judicat ſecundum eam, quam cenſet probabiliorem vid. Propoſit: damnatæ ab *INNOCENTIO XI. Anno 1679. die 2. Martij
propoſit: 2.*, ſi in cauſis civilibus æquali probabilitate ſive juris ſive facti conſtantibus non utrique parti faveat, ſed amici favorem attendendo pro eo ju-
dicet & caſum pro amico à JCtis dudum reprobatum nec minus ut diabolicum declaratum, male ſuſtineat. Sic inſuper cavebit, ne muneribus venales
habeat ſententias cum juſtitia pretio æſtimabilis eſſe non debeat. *c. 66. cauſ. 11. q. 3. cap. 10. X. de vit. & honeſt. clericor.* Quid ergo muneris ipſius erit Judicis?
ut plurima quæ huc referre, paginæ non patitur anguſtia, prætermittam, binos textus facientes totam paginam, unum ex ſacro, alterum ex civili codice no-
ſtro referre placet. Rex Juda JOSAPHAT *Paralip. 2. c. 19. v. 5. 6. 7.* conſtituens judices terræ & eis præcipiens, *videte*, ait, *quid faciatis, non enim hominis exercetis
judicium ſed Domini & quodcunque judicaveritis, in vos redundabit, ſit timor Domini vobiscum & cum diligentia cuncta facite, non enim eſt apud Dominum
DEUM iniquitas nec perſonarum acceptio, nec cupido-munerum &* JCtus CALLISTRATUS *in L. 19. ff. de offic. Præſid.* docet: *Obſervandum eſt jus red-
denti, ut in adeundo quidem facilem ſe præbeat, ſed contemni non patiatur, unde mandatis adjicitur, ne Præſides provinciarum in ulteriorem familiaritatem
provinciales admittant, nam ex converſatione æquali contemptio dignitatis naſcitur. Sed in cognoſcendo neque excandeſcere adverſus eos, quos malos pu-
tat, neque precibus calamitoſorum illacrymari oportet, id enim non eſt conſtantis & recti judicis, cujus animi motum vultus detegit. Et ſummatim ita jus
reddet, ut authoritatem dignitatis ingenio ſuo augeat.* Quam Legem pro Lectione Curſoria enucleandam ſuſcepit ſupremorum juris honorum Can-
didatus eximius, Nobilis & Clarisſimus DN. JOANNES ELIAS WEISE, natus Weisfelſæ, quod oppidum Sereniſs. Saxoniæ ducis ſedes eſt, d. 4. Maj.
S. V. 1678. Parentem adhuc veneratur DN. CHRISTIANUM WEISIUM, tum in Gymnaſio illuſtri Politices, Eloquentiæ & Poëſeos Profeſſorem. Ma-
trem REGINAM ARNOLDIAM vix decem dies natus amiſit. Eà vero Patriâ gaudere diu non potuit, quod ſub idem tempus ipſe Parens Gymnaſij
Zittavienſis Rector eſſe juberetur filioque ſimul adſveſcendum eſſet auræ Luſaticæ. Novam ibi matrem nactus è Neſenorum familia, quæ tertio nunc
Seculo Zittaviam illuſtrare non deſinit, educationem ex voto liberalem & accuratam expertus eſt. Studijs vero tractandis locum habuit commodisſi-
mum, quod Parens immenſo diſcentium numero circumfuſus ſemper aliquos reperiret, quos diligentiæ vel ſocios vel cenſores vel teſtes conſtituere
poſſet. Sic in humanioribus diſciplinis, in Politicis etiam & Hiſtoricis nihil neglectum fuit donec ipſe ſtudijs Juridicis conſecrandus, antequam extru-
deretur in lucem Academicam, his ſimul elementis memoriam & qualemcunque judicandi Facultatem adſveſcere diſceret. Sic tandem Menſe Mar-
tio 1697. Lipſiam dimiſſus, varios Patris invenit Patronos & Amicos, ac in ijs præcipue ſummè Rev. Dn. D. Thomam Ittigium, Superintendentem &
Prof. Publ. ſuum in baptismate Suſceptorem & Patrem hactenus ſpiritualem & ſummè Rev Dn. D. Gottlob Fridericum Seligmannum, Paſtorem
Conſiſtorialem ac Prof. Publ. Virum in amplectendis Zittavienſibus, Illuſtri ſuò Fratre, cui inſcripta eſt Inauguralis Diſputatio, non minorem.
In ipſis vero ſtudijs occaſionem invenit undiquaque paratisſimam. Fautorem enim & Contubernalem nactus Dn. D. Gothofredum Langium, qui,
quicquid vel in Philoſophia vel in Hiſtoria deficeret, ſupplere ſatisfeliciter potuit. Nec minorem ſucceſſum debuit primo ſuo convictorio, apud ſum-
mè Rev. Dn. D. Johannem Schmidium, Eloquentiæ Profeſſorem, quo moderante domeſticis fundamentis ſplendidiora ſuperſtruxit. Imprimis ſibi
gratulatus eſt de Amico Paterno, ſummè Rev. Dn. D. Adamo Rechenbergio, quem in Morali Jurisque Publici Doctrina Præceptorem habuit, ut et-
iam ſub ejus Præſidio, Diſputationem Politicam, *de ſtudio novitatis & antiquitatis ad* Barclaji *captum*, ſolenniter defenderet. Sicut autem Juris ſtu-
dioſum ſeſe nominatum agnovit, ita, ne quid in amplisſimis Legum campis intactum relinqueretur, ſedulo dedit operam. Et initio quidem ſeſe ſta-
tim addixit Excell. atque Conſult. Dn. D. Chriſtophoro Schreitero, qui nihil, quod ad Inſtitutionum notitiam, ad Pandectarum applicationem, ad Ju-
ris Feudalis ſpecialiorem cognitionem pertineret, in eo negligendum putavit. Poſtea Excell. atque Conſult. Dn. D. Lüderum Menckenium vel ideo
venerandum, quod Paternus Amicus & Fautor Dn. L. Otto Menckenius, Moralium P. P. longe celeberrimus id quoque nomen redderet pretioſum,
in evolvendo Jure Canonico fidelem Doctorem habuit. Præcæteris autem plenum ſeſe debitorem profitetur Excell. atque Conſult. Dn. D. Gothofredi
Barthij, Practici apud Lipſienſes famigeratisſimi. Hujus & ædibus & menſa receptus, ſi quid vel in Theoria ſupereſſet, vel in Praxi nunc ſupplendum
eſſe videretur, egregie notavit. Ut intimiorem tanti Doctoris admisſionem inter præcipuas ſeptennij Lipſiaci felicitates & nunc libenter numere, &
per univerſam ſuam vitam ſit numeraturus. Equidem accuſare negligentiam ſuam non eſt paſſus, quoniam JCtis alibi viventibus innoteſcere cuperet.
Duobus enim abhinc annis in Belgium profectus, neminem prætermiſit, à quo diſcedere poſſet vel doctior vel politior. Cum tamen eorum temporum
turbæ longioribus excurſionibus obſtarent, adverſo Rheno per ipſas militum cohortes qui Landaviam oppugnarent, Genevam usque pervenit, ſed ab
ejusdem finibus ultra Lugdunum in Galliam interiorem pervenire non potuit, nec Italiæ ſpectandæ cupiditatem ſibi tempeſtivam intellexit, ut, tan-
quam à DEO vocatus, Lipſiæ ſuæ ſtudiorum reliquos ſucceſſus commendaret. Tandem ad Nos veniens in numerum Candidatorum noſtrorum re-
cipi modeſtè petiit, cui laudabili petito annuentes ſecundum morem receptum transmisſis prius ex utroque jure reſolvendis textibus, Examini rigo-
roſo ſubjectus fuit, in quo cum ſatis eruditam textuum elaborationem communicaſſet, & ad obmota dubia non minus ſolidè quam prompte reſpon-
diſſet, ex voto eum in numerum Candidatorum noſtrorum recipere, & ad reliqua progymnasmata admittere non dubitavimus, ſed dignisſimum judica-
vimus, cui in utroque jure ſupremi decernantur honores. Habebit itaque proximâ Lunæ ad antepoſitam *L. 19. ff. de Offic. Præſid.* Lectionem ſuam Cur-
ſoriam, inſequenti vero die DE ERRORE NON NOCIVO Diſputationem Inauguralem; quos Actus ut LL. Fautores præſentia ſua illuſtriores reddere
dignentur, eâ qua par eſt obſervantia invitantur, rogantur. Publicatum ſub Sigillo Facult. Jurid. Dominicâ Lætare 1704.

ERFORDIÆ, *Excudebat JOH. HENR.* Groſch / *Acad. Typogr.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-658835-p0004-6

d. 27. Nov.
Wincop
1704,10

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-658835-p0005-2

ULB Halle 3
005 355 346

Vd 18

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-658835-p0007-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-658835-p0008-8

23

IN ALMA UNIVERSITATE ERFFURTINA FACULTATIS JURIDICÆ DECANUS

JOANNES MATTHIAS WINCOP

PHIL. & J. U. D., PROF. PUBL. ORDIN. & PRÆFECTURÆ hujatis CONSULENS

LECTORI BENEVOLO SALUTEM!

QVemadmodum Judicis ſeu populo jus dicentis officium latiſſimum *L.1.ff.de jurisd.*, ita quoque graviſſimum eſt & varijs tum præceptis tum ſalutaribus monitis ac regulis in jure noſtro circumfuſum legitur; ſic non ex proprio ſenſu & arbitrio, ſed ſecundum jura & leges publicas judicare jubetur *Cap. I. X. de conſtit*: junct. *Gloſſ.V.Senſu*, licet quandoque mutatis circumſtantijs epijkia uti & rigorem, quem verba legis ſecum trahunt, non deviando tamen à Principis mente, declinare, omiſſa etiam à partibus litigantibus ex officio varijs caſibus ſupplere & in medium proferre non prohibeatur, vid. *Ernric. Pirbing. meth.nov.Jur. Can. ad Tit.de offic.jud.§3.* cavebit tamen ne flectatur irâ, odio, timore precibus vel amicitiâ, ſed ut fungatur officio boni & innocentis viri *c. 4.cauſ.3.q. 7.* unde JCtus Baldus duplicem in eo ſalem, ſcientiæ ſcilicet & conſcientiæ deſiderat eumque ſine illo inſipidum, ſine hoc vero Diabolicum pronunciat, ſic quoque cavebit, ne contra *c.12.de R.J.in 6.* perſonarum in judicio habeat acceptionem, quod facere cenſetur, ſiquædam attingendo, in alterius partis gratiam iniquam ferat ſententiam, ſi cauſam, quæ ex una parte litigantis apparet probabilior & juſtior, ex parte altera vero minus probabilis, non judicat ſecundum eam, quam cenſet probabiliorem vid. Propoſit: damnatæ ab *INNOCENTIO XI. Anno 1679. die 2. Martij propoſit: 2.*, ſi in cauſis civilibus æquali probabilitate ſive juris ſive facti conſtantibus non utrique parti faveat, ſed amici favorem attendendo pro eo judicet & caſum pro amico à JCtis dudum reprobatum nec minus ut diabolicum declaratum, male ſuſtineat. Sic inſuper cavebit, ne muneribus venales habeat ſententias cum juſtitia pretio æſtimabilis eſſe non debeat. *c.66.cauſ.11.q.3.cap.10.X.de vit. & honeſt. clericor.* Quid ergo muneris ipſius erit Judicis? ut plurima quæ huc referre, paginæ non patitur anguſtia, prætermittam, binos textus facientes totam paginam, unum ex ſacro, alterum ex civili codice noſtro referre placet. Rex Juda JOSAPHAT *Paralip.2.c.19.v.5.6.7.* conſtituens judices terræ & eis præcipiens, *videte*, ait, *quid faciatis, non enim hominis exercetis judicium ſed Domini & quodcunque judicaveritis, in vos redundabit, ſit timor Domini vobiſcum & cum diligentia cuncta facite, non enim eſt apud Dominum DEUM iniquitas nec perſonarum acceptio, nec cupido-munerum &* JCtus CALLISTRATUS *in L.19. ff. de offic. Præſid.* docet: *Obſervandum eſt jus reddenti, ut in adeundo quidem facilem ſe præbeat, ſed contemni non patiatur, unde mandatis adjicitur, ne Præſides provinciarum in ulteriorem familiaritatem provinciales admittant, nam ex converſatione æquali contemptio dignitatis naſcitur. Sed in cognoſcendo neque excandeſcere adverſus eos, quos malos putat, neque precibus calamitoſorum illacrymari oportet, id enim non eſt conſtantis & recti judicis, cujus animi motum vultus detegit. Et ſummatim ita jus reddet, ut authoritatem dignitatis ingenio ſuo augeat.* Quam Legem pro Lectione Curſoria enucleandam ſuſcepit ſupremorum juris honorum Candidatus eximius, Nobilis & Clariſſimus DN. JOANNES ELIAS WEISE, natus Weisfelſæ, quod oppidum Sereniſſ. Saxoniæ ducis ſedes eſt, d. 4. Maj. S. V. 1678. Parentem adhuc veneratur DN. CHRISTIANUM WEISIUM, tum in Gymnaſio illuſtri Politices, Eloquentiæ & Poëſeos Profeſſorem. Matrem REGINAM ARNOLDIAM vix decem dies natus amiſit. Eâ vero Patriâ gaudere diu non potuit, quod ſub idem tempus ipſe Parens Gymnaſij Zittavienſis Rector eſſe juberetur filioque ſimul adſveſcendum eſſet auræ Luſaticæ. Novam ibi matrem nactus è Neſenorum familia, quæ tertio nunc Seculo Zittaviam illuſtrare non deſinit, educationem ex voto liberalem & accuratam expertus eſt. Studijs vero tractandis locum habuit commodiſſimum, quod Parens immenſo diſcentium numero circumfuſus ſemper aliquos reperiret, quos diligentiæ vel ſocios vel cenſores vel teſtes conſtituere poſſet. Sic in humanioribus diſciplinis, in Politicis etiam & Hiſtoricis nihil neglectum fuit donec ipſe ſtudijs Juridicis conſecrandus, antequam extruderetur in lucem Academicam, his ſimul elementis memoriam & qualemcunque judicandi Facultatem adſveſacere diſceret. Sic tandem Menſe Martio 1697. Lipſiam dimiſſus, varios Patris invenit Patronos & Amicos, ac in ijs præcipue ſummè Rev. Dn. D. Thomam Ittigium, Superintendentem & Prof. Publ. ſuum in baptiſmate Suſceptorem & Patrem hactenus ſpiritualem & ſummè Rev Dn. D. Gottlob Fridericum Seligmannum, Paſtorem Conſiſtorialem ac Prof. Publ. Virum in amplectendis Zittavienſibus, Illuſtri ſuô Fratre cui inſcripta eſt Inauguralis Diſputatio, non minorem. In ipſis vero ſtudijs occaſionem invenit undiquaque paratiſſimam. Fautorem enim & Contubernalem nactus Dn. D. Gothofredum Langium, qui, quicquid vel in Philoſophia vel in Hiſtoria deficeret, ſupplere ſatis feliciter potuit. Nec minorem ſucceſſum debuit primo ſuo convictorio, apud ſummè Rev. Dn. D. Johannem Schmidium, Eloquentiæ Profeſſorem, quo moderante domeſticis fundamentis ſplendidiora ſuperſtruxit. Imprimis ſibi gratulatus eſt de Amico Paterno, ſummè Rev. Dn. D. Adamo Rechenbergio, quem in Morali Jurisque Publici Doctrina Præceptorem habuit, ut etiam ſub ejus Præſidio, Diſputationem Politicam, *de ſtudio novitatis & antiquitatis ad* Barclaji *captum*, ſolenniter defenderet. Sicut autem Juris ſtudioſum ſeſe nominatum agnovit, ita, ne quid in ampliſſimis Legum campis intactum relinqueretur, ſedulo dedit operam. Et initio quidem ſeſe ſtatim addixit Excell. atque Conſult. Dn. D. Chriſtophoro Schreitero, qui nihil, quod ad Inſtitutionum notitiam, ad Pandectarum applicationem, ad Juris Feudalis ſpecialiorem cognitionem pertineret, in eo negligendum putavit. Poſtea Excell. atque Conſult. Dn. D. Lüderum Menckenium vel ideo venerandum, quod Paternus Amicus & Fautor Dn. L. Otto Menckenius, Moralium P.P. longe celeberrimus id quoque nomen redderet pretioſum, in evolvendo Jure Canonico fidelem Doctorem habuit. Præcæteris autem plenum ſeſe debitorem profitetur Excell. atque Conſult. Dn. D. Gothofredi Barthij, Practici apud Lipſienſes famigeratiſſimi. Hujus & ædibus & menſa receptus, ſi quid vel in Theoria ſupereſſet, vel in Praxi nunc ſupplendum eſſe videretur, egregie notavit. Ut intimiorem tanti Doctoris admiſſionem inter præcipuas ſeptennij Lipſiaci felicitates & nunc libenter numere, & per univerſam ſuam vitam ſit numeraturus. Equidem accuſare negligentiam ſuam non eſt paſſus, quoniam JCtis alibi viventibus innoteſcere cuperet. Duobus enim abhinc annis in Belgium profectus, neminem prætermiſit, à quo diſcedere poſſet vel doctior vel politior. Cum tamen eorum temporum turbæ longioribus excurſionibus obſtarent, adverſo Rheno per ipſas militum cohortes qui Landaviam oppugnarent, Genevam usque pervenit, ſed ab ejusdem finibus ultra Lugdunum in Galliam interiorem pervenire non potuit, nec Italiæ ſpectandæ cupiditatem ſibi tempeſtivam intellexit, ut, tanquam à DEO vocatus, Lipſiæ ſuæ ſtudiorum reliquos ſucceſſus commendaret. Tandem ad Nos veniens in numerum Candidatorum noſtrorum recipi modeſtè petiit, cui laudabili petito annuentes ſecundum morem receptum transmiſſis prius ex utroque jure reſolvendis textibus, Examini rigoroſo ſubjectus fuit, in quo cum ſatis eruditam textuum elaborationem communicaſſet, & ad obmota dubia non minus ſolidè quam prompte reſpondiſſet, ex voto eum in numerum Candidatorum noſtrorum recipere, & ad reliqua progymnasmata admittere non dubitavimus, ſed digniſſimum judicavimus, cui in utroque jure ſupremi decernantur honores. Habebit itaque proximâ Lunæ ad antepoſitam *L.19.ff.de Offic.Præſid.* Lectionem ſuam Curſoriam, inſequenti vero die DE ERRORE NON NOCIVO Diſputationem Inauguralem; quos Actus ut LL. Fautores præſentia ſua illuſtriores reddere dignentur, eâ qua par eſt obſervantia invitantur, rogantur. Publicatum ſub Sigillo Facult. Jurid. Dominicâ Lætare 1704.

ERFORDIÆ, *Excudebat JOH. HENR.* Groſch / *Acad. Typogr.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-658835-p0009-7